



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 162. Quatuor exercitus a Ludovico XII. conscripti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Ferdinandus, a privato quæstu alienum ostendam animum, lubenti animo huic Regi omnia, quæ Hispani in hoc regno possident, reddam, ea tamen lege, ut & Galli paucas illas, quas adhucdum ibi tenent, urbes eidem restituant. Detexit Cardinalis de Ambasia versutum Ferdinandi consilium, idque tanta verborum vehementia Hispaniæ Ministris exprobravit, ut initum cum eis foedus omnino rescinderetur: unde Rex eos intra viginti quatuor horas Lugduno, ac post octiduum toto Regno excedere jubet, utque ignominiam Gallico nomini iniustam deleret, bellum restaurat, cuius ingens apparatus toti Europæ terrorem incuteret.

§. CLXII.

Quatuor exercitus a Ludovico XII. conscripti.

Igitur Rex quatuor omnino exercitus conscribit, quorum tribus terra, quarto mari bellum gereret; ex terrestribus validior octodecim peditum, ac duo cataphractorum millia recensebat, cui Trinolius imperaret, Neapolis Regnum recuperaturus. Tres reliqui ad id instruebantur, ut Hispaniam infestis armis invaderent, quorum primo Albretus præfectus, per Occidaniam in Ruscinonensem Comitatum

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.

Sæcul. XVI.
A.C. 1503. mitatum penetraret, alter vero Ductore Joanne Fuxo Narbonensi Vice-Comite, collectis in Aquitania copiis, a Fontis rapidi obsidione bellum auspicaretur. Denique navalis exercitus Cataloniæ, ac Valentiniæ regni oras obsideret, & Cajetanæ urbi suppetias ferret, ac quodvis auxilii genus ex Hispania Neapolim transferri prohiberet: verum cunctis hisce amplis Gallorum apparatibus longe superior erat Consalvi solertia, ac Petri Navarrae dexteritas, qui ambo cunctos Franciæ conatus tam fortiter eludebant, ut Ludovico XII. nil reliquum esset, quam tarda nimis poenitentia, qua ad exequenda ejusmodi consilia immensos ferme sumptus se frustra impendisse summopere dolebat.

